



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

28. S. S. Innocentes, Primi Martyres

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

714 XXVIII. Decembris. SS. Innocentum.

Festum SS. Innocentium Primorum  
Martyrum.

EXHORTATIUNCULA I.

**H**i parvuli nondum noverunt Jesum, & jam pro hujus honore pretiosæ cadunt victimæ. O fili! nobisne ignotus Christus? Ah! quanto jam novimus tempore. Novimus ex beneficiis, quæ singulis momentis accipimus innumera: Novimus in anima, & in corpore. Cur ergo ceperescimus in ejus obsequio? Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio. S. Chrysost.

Instructio meritoria.

Nulla igitur dies sine linea. Nulla dies sine actu heroico. Et ne omittamus, urnulam nobis formemus, cui quotidie immittamus schedulam actu exercitō signatam. O quantum cum diebus, & cum his crescentibus victoriis nostri crescent thesauri in cœlis! Industriam adeò sanctam ut inflamment Sancti in cœlis, de Illis oremus Lytaniae majores. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis, & Sanctis suis: & tunc reddet unicuique secundūm opera ejus.

II.

**I**nnocentium Passio fuit Christi exaltatio. O fili, injustè patimur persecutio[n]es? Patiamur gaudentes. Herodes his parvulis non profuisset tantum parcendō, blandiendō, & favendō, quantum profuit eos persequendō. Erramus,

mi



XXVIII. Decemb. Sanctorum Innocentum. 715  
mi dilecte, si cogitamus, nos integros, & non  
benè contusos perventuros ad cœlum: Cœlo-  
rum regnum est regnum detruncatorum, ten-  
tatorum, & contemptorum. Quomodo au-  
debimus inter tot decantatos comparere capita-  
neos, & duces, qui adeò vivimus timidi?

*Instructio meritoria.*

Sileamus cum infantibus ad omnes vexatio-  
nes, ad verba pungitiva, & acuminosa, & corde  
tacitō dicamus: *Domine Iesu! tu scis, quod  
amem te; quia hæc patior tui amore.* Dein pro  
ipsis vexatoribus, ne Deus puniat, subjungamus  
expansis brachiis *quinque Pater,* & *Ave* cum  
suspirio S. Stephani: *Domine! ne statuas illis  
hoc peccatum: sed dimitte nobis debita nostra,*  
*sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Ne-  
scit nostra religio accipere personas, nec condi-  
tiones hominum, sed animas inspicit singulo-  
rum. S. Paulinus.

III.

*Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlo-  
rum.* O nos beatos, si parvulorum hodier-  
norum simplicitatem induerimus, & innocen-  
tiā. His virtutib⁹ rapitur Deus cum cœlo.  
*Simplices diligit Deus,* testatur S. Augustinus.  
Simplices erimus, si nos mundo non implicave-  
rimus. Nam implicand⁹ jam erimus duplices.

*Instructio meritoria.*

Ne corrupta prævaleat in Christianos politia,  
& plus vivatur ex fraude, dolo, simulatione,  
& astutiâ, quam verâ, genuinâ, & sanctâ charita-  
te,



716 XXIX. Decembris. S. Thomæ Archiep.

te, offeramus hodie *psalmos graduales*. Ab hypocrisi, à simulatione & politiâ subdolâ libera nos Domine! *Hypocrite vivunt aliis, & sibi moriuntur*. S. Greg. O miseros!

Festum S. Thomæ Angliæ Cancellarii,  
Archiepiscopi, & Martyris pro Immunitate  
Ecclesiæ Constantissimi.

### EXHORTATIUNCULA I.

O Quàm arduum S. Thomas subiit certamen  
pro Ecclesia! Jacturam bonorum, amico-  
rum proscriptiones, exilia, & quidquid malo-  
rum potuit inferri, tulit à rege Henrico. Qua-  
mentis dispositione? Immoto vultu, & animô  
invictô. O fili! qui fuimus hoc anno impati-  
entia, & fortitudine Christiana? O si æquales S.  
Thomæ! quanta jam nostra foret merces in cœ-  
lis! Sæpe quæ inter damna censemus, ut pluri-  
mùm lucra nostra sunt. Opes, honores, æsti-  
mationem hominum nobis aufert Deus, ut ibi  
quæramus, & quærendô inveniamus, ubi felix  
perpetuitas. Felix jactura, & damnum, quod  
tam salutaris doctrinæ fit magisterium. Deser-  
rant illa nos potius, quàm ut Deum deseramus.

### *Instructio meritoria.*

O quàm modica nobis de Deo spes! satisfacia-  
mus, & propter multivarias pusillanimitates im-  
patientias, murmura, & inordinatas tristitias per-  
solvamus vesperas ex officio defunctorum cum  
uno peculiari Rosario pro animabus, quæ & pro-  
pter paria vitia gravissimè luunt inter purgatori

cor-

